



Concorso di ammissione – a.a. 2006/07

PROVA DI LATINO E GRECO (scritto)

Il valore della cultura letteraria

Quaeres a nobis, Gratti¹, cur tanto opere hoc homine² delectemur. Quia suppeditat nobis ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur et aures convicio defessae conquiescant. An tu existimas aut suppetere nobis posse quod cotidie dicamus in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus, aut ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrina eadem relaxemus? Ego vero fateor me his studiis esse deditum. Ceteros pudeat, si qui se ita litteris abdiderunt ut nihil possint ex eis neque ad communem adferre fructum neque in aspectum lucemque proferre; me autem quid pudeat qui tot annos ita vivo, iudices, ut a nullius umquam me tempore aut commodo aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit aut denique somnus retardit? Qua re quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure suscenseat si, quantum ceteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates et ad ipsam requiem animi et corporis conceditur temporum, quantum alii tribuunt tempestivis conviviiis, quantum denique alveolo, quantum pilae, tantum mihi egomet ad haec studia recolenda sumpsero? Atque hoc ideo mihi concedendum est magis quod ex his studiis haec quoque crescit oratio et facultas quae, quantacumque est in me, numquam amicorum periculis defuit.

Cicerone, *pro Archia poeta* 12-13

¹ Questo Grazzio è l'accusatore di Archia, il poeta greco difeso con successo da Cicerone nel processo intentatogli per usurpazione della cittadinanza romana (62 a. C.).

² Cicerone si riferisce al suo 'cliente', Archia, a cui lo legava un'amicizia fondata sulla condivisione di interessi culturali e sulla passione per la letteratura.

